DE HYDROCEPHALO DISSERTATIO ACADEMICA QUAM IN...

Giovanni medico Fontebasso (medico)



DE

HYDROCEPHALO

DISSERTATIO ACADEMICA

QUAM

IN VETUSTISSIMO AC CELEBERRIMO

ARCHIGYMNASIO PATAVINO

AD SUMMOS HONORES

IN MEDICINA OBTINENDOS

PUBLICE DEFENDIT

JOANNES FONTEBASSO

TARVISINUS



PATAVII

TYPIS VALENTINI CRESCINII

MDCCCXXV.

126

SEBASTIANO LIBERALI D. M.
HAEDIUM EXPOSITORUM
MODERATORI
NOSOCOMII CIVILIS TARVISINI
MEDICO
EJUSDEMQUE URBIS ATHENAEI
SOCIO ORDINARIO
ET
LITTERARUM COMMERCIUM
CUM
I. R. SCIENTIARUM ET ARTIUM ARETINA ACADEMIA
HABENTI

JOANNES FONTEBASSO

Singulare studium ac clarissima amoris signa, quibus me semper ab ineunte adolescentia cumulasti, tot, VIR PRAESTANTISSIME, quibus me semper erexisti, consilia ac incitamenta, jure expetebant, ut tibi, jamdiu debitam devoti animi significationem publice patefacerem.

Sed cum meo huic consilio tua certa obstitisset modestia, ipsa quoque deerat occasio. Hodierna vero lux, quae et tuis,

Egregie Vir, desideriis, meisque laboribus et vigiliis finem attulit, meae quoque laetitiae quasi cumulus accedit, graviter me excitat et hortatur, ut tibi illius quo percellor, amoris et observantiae testimonium exhibeam luculentissimum. Meorum hunc igitur laborum ac studiorum fructum tibi in praesens instituere ausus sum; atque hoc, non quod ullo modo Te deceat, sed ut tua perennius gratia, patrocinio, atque ope fulciar, quibus plane, ut propositum mihi stadium difficillimum percurram, necessum habeo. Hoc praeterea non alteri offerendum esse duxi, cum certe sciam, te mirifica praeditum iri humanitate.

Quod quidem benigno animo fac ut excipias. Si quid liberius dictum reperies, quam medica severitas pati possit, veniam da atque tribue. Id si assequar, cum alacrior efficiar, et majoribus semper officiis tibi devinctus, tum etiam et honoris et gaudii mihi cumulus adjicietur.

Me, ut facis, ama, tuique observantissimum habeto. Vale.

Patavii.

DE HYDROCEPHALO

Hominis vita, si ejus indoles penitus indagetur, sensibilium sibi invicem succedentium mutationum curriculo subjicitur tum in physica, cum in morali ipsius constitutione, ita ut immutabilis naturae lex esse videatur, quamlibet aetatem ad certum aliquem morbum atque ad consuetas illas perturbationes quodam modo ferri, quibus humana vita subjaceat necesse est. Quin hic immensam illam morborum seriem unicuique vitae spatio prope dixerim accomodatam recenseamus, frequens atque adeo funestissimus morbus, qui sub Hydrocephali appellatione dignoscitur, diligentissimis accuratissimisque observationibus argumentum in praesentiarum suppeditabit.

Hydrocephalus infantes ipsos ante ortum etiam invadit (hydrocephalus congenitus), et raro accidit ut ultra tres quatuorve annos vitam agere possint, praesertim si cranii suturae intervallum aliquod inter se exhibeant. Communior hydrocephali sedes in cerebri ventriculis invenitur. Illud primo intuitu admirationis plurimum certe praesefert, quod hujusmodi morbus in interiori cerebri parte sedem statuere possit suam, ubi sedulioribus anatomices investigationibus nulla lymphatica vasa detegere datum fuit. Sed hujusmodi vasa quod revera habeantur non ex eo desumitur,

quo hic morbus in scenam prodiit? Praeter quam quod multiplices venarum buculae, quae in cerebro effluunt, non ne hic eodem ac absorbentia vasa fungi possunt officio? »Serum cumulatur in cerebri ven»triculis, et spatiis intra meninges, quia arteriae in »istis plus seri deponunt, quam venae reabsorbere pos»sint. (Hippoc. de morb. capit. lib. I. c. II. pag. IX.).

Interdum, raro quidem, cranium inter duramque matrem effluxus evenit et hydatidibus stimulum adjicit; nec silentio praetereundum est, quod nonnullis etiam in casibus seri collectio cerebri inter membranas constituitur: quae quidem perturbatio temporis progressu hoc organum comprimit, atque praetermodum gravat. *Breschet* anatomicis observationibus accuratissimus sub textu cellulari subaracnoideo magni vere ponderis effluxum invenit.

Tum ergo habebitur hydrocephalus, cum praeternaturalis collectio in cerebri ventriculis perficitur, atque ut *Sauvagès* sententia est: habetur hydrocephalus quando serum inter cranii thecam latitat, eamque ita destendit, ut suturae hient. Ut hydrocephali morbus clarius innotescat, non inutile sane arbitror duas ipsius species distinguere.

Hydrocephalus idiopaticus. Non haec hydrocephali species veteres latebat, et immerito recentiorum nonnulli hujusce morbi sibi vindicarunt investigationem. Quod facile sane perspici poterit, si animadvertatur praecise ab Hippocrate de seri illa coacervatione verbum fieri, quae in interiori cerebri parte efformatur, quaeque his characteribus praedita est: dolores plus minusve acuti ad frontis regionem, tempora, capitis summitas, tremitus febrilis, visus perturbationes

pupillarum dilatatio, amblyopia, allucinationes, aurium tinnitus, nauseae, ac vomitus mucosi. Nihilominus tamen Clinice medica plurimum debet curae ac sedulitati Fothergill, Whytt, Wotson, Odier, Ludwig et Vichmann, qui obscurissimam interioris in cerebro hydropis doctrinam clariore in lumine collocarunt; morbus, qui ob morbosorum phoenomenum similitudinem cum verminatione, nec non dentitione confundi solet. Hydrocephalus idiopaticus nunc citissime, interdum vero lente ac progressu temporis evolvitur. Plerumque tremitibus, oscitationibus, nauseis, vomitibus, praesertim vero majori vel minori dolore ad regionem orbitae ingrui solet. Celer habetur pulsus, nares incomodo vexantur pruritu, labia ac palpebrae convulsionis motibus exagitantur; oculi singularem in modum diurna luce offensi, rubet lingua, urinae parcae effluunt, constipationem patitur venter. Symptomata istiusmodi maiori aut minori tum molestia, tum ordine se se offerunt. Sed cum seri cumulus in cerebri ventriculis plurimum auxerit, aegrotus coma correptus, nec non etiam interdum stupidus effici coepit. Nihilo tamen secius opus est arbitrari, aegrotantem miserum vexatum iri, cum frequens sit clamor ac ploratus, cum ut se erigat, nutricis brachiis caput fulciatur oporteat. Appetitus imminuitur, macies deprehenditur, cutis aret, alvinae evacuationes viridi colore prodeunt, ac foetent, injussae fluunt urinae, ac tandem irruit mors.

Hydrocephalus symptomaticus. Hujusmodi species alteri semper cronico morbo conjungitur, veluti Rachitidi, strumis etc. Capitis intumescentia a collecto sero in cerebri ventriculis efformata, ingens pupillae dilatatio, strabismus, sensuum laesio, inferiorum extremi-

tatum paralysis, etc. praecipua sunt symptomata, quibus hic morbus ostenditur. Hinc utile erit si perpendatur, talem morbum saepe cum hydrorachitide commisceri. Si hydrocephalus appareat, quin nullo antea modo prospici potuerit, non funesta adeo offerre videtur, symptomata. Initium facit morbus ex levi cephalalgia, et ex simplici ventriculi redundantia. Non raro horum primorum symptomatum character medicum fallit. In eam deducimur sententiam, ad consuetam illam crisim infantem devenisse, quae cum dentes oriuntur, adparere solet; ac interea pro certo adeo fidimus, ut istiusmodi morbi funestissimi eventus nec suspicionem nobis addat nec timorem. Si accuratam vero animadversionem instituamus, facile sentimus, aegrum infantem capitis pondere quodammodo opprimi, capitis nimirum illius, quod victima est doloris semper saevientis; capitis quod inniti semper necessum habet; vult decumbere, semperque ad somnum ferri ostendit; arida ipsius cutis ac aestuans est; febris adest, quae sub vespere exasperatur, tremitus quoque, nauseas, vomitus, foetentem halitum, dolores ad epigastrium, tormina ad imum ventrem, oculum aut fuscum, aut aberrantem, praesertim vero lucis odium praesefert; tamquam characteres accedunt praeterea adsopitio, motus convulsivi, dentium fremitus, diarrhoea mucosa aut verminosa. Infantes saepius ad caput manum adferunt, ubera renuunt, ipsorum somnus saepissime intermissus a doloris clamoribus in longum productis, celer fit pulsus ac tremens, lentus interdum, irregularis quandoque.

Burserius recurrentem aphoniam perpendit, urinarum paucitatem, et illarum quae fluebant, lixiviam

conditionem; praeterea pulsus irregulariter dynamicum servant statum: nam modo vibrantes et turgidi, molles nunc, exiles plurimum et tardi: intestinorum evacuationes subflavae, et foetidae, quod praesertim non contingit, si pertinax alvus obstruatur. Ut meliorem in modum haec series perficiatur, illud non praetereat, quod qui hydrocephalo symptomatico adficiuntur, stuporis plerumque et imbecillitatis statu obvolvuntur: omnia sensuum organa sensu, prope dixerim, carere videntur; facili tamen negotio in nonnullis ciet funestas perturbationes levissima quaeque oppositio, vel in individuo concussio. Dixi in nonnullis, cum innumera pene testentur exempla, concussionem quamlibet levem satis fuisse, ut individuus coma continenter sopitus excessivam pateretur agitationem; alter vero individuus, circumstantiis paribus, insensibilis plane perstat ad strepitum quem circa se habebat. Praeterea, quemadmodum spinalis medullae nervi sunt fere semper compressi in morbo, de quo argumentum est, impossibile quidem videtur, extremitates paralysi non laborare, sed potius extremae maciei statu, eo quod nutritione destitutae sint. Tamen si nonnullorum observationibus fides adhibenda est, inferiorum etiam artuum paralysis deprehenditur, nec non individui ad erigendum caput difficultas, dum id pondere gravatum suo dimittere in pectus solet, cum colli musculi ita relaxati protracti sint, ut naturalem erectionem nequeant detinere. Hydrocephalus, ut dixi, in cerebri ventriculos plerumque saevit; harum cavitatum parietes in proprio textu constanter perturbatae sunt, ob serum in cumulum eo loco redactum. Et reapse quidem videre aliquando est in

cadaverum sectione; qui tali morbo jam afficiebantur, tales perpessas fuisse perturbationes parietes cavitatum cerebri ventriculorum, ita ut tenuiores evaserint, neque aliud praeter laevigatam, laevemque membranam conflarent, qua super vasa extenduntur. Haud meliorem harum membranarum scirem comparationem instituere, quam iis sacculis, qui hydropisis cisticae materiei involucro sunt. Hac super re omni efferendus est laudum praeconio celeberrimus Professor *Chaussier,* qui supra hydrocephali phoenomena pathologica ad maximi quidem momenti investigationes accuratissime operam dedit. Et re quidem vera ipsius observationibus factum est, ut nunc temporis neminem fugiat, quod seri coacervatio in interiori cerebri parte interdum accidat. Quid ergo tali rerum adjuncto usu venire videmus? Capitis forma nulli obnoxia est mutationi, nisi quoad latera, cum regio quaelibet in normali permaneat statu: idest inferiores partes majus extendantur, superior vero perfectam dispositionem naturalemque configurationem retineat. Pravi hinc ac fatales eventus, ad quos potissimum mens nostra ac observatio debet incumbere, in foetibus tali morbo perculsis, hi sunt praecipui; compaginum membranacearum, aeque fontium pulsantium sejunctio, aut avulsio; tenuitas et fere pelluciditas ad cranii ossa, divisaque fragmina, quae ad eadem ossa componenda concurrunt. Atque ad cranii ossium pelluciditatem quod spectat, in parietalibus praesertim faciliori negotio deprehenditur, ita ut haec perspicua variis in partibus se se exhibeat, in aliis vero nonnisi reticulum osseum rotundis conspersum ansulis cernebatur. In eam hinc ego ducor sententiam,

evidenter quidem statui posse, magnum hoc membranaceorum spatiorum numerum ab aequali ac uniformi ossificationis vitio pendere; et arbitrari etiam fas esset, a cerebri tantum protuberantiis et circumvolutionibus oriri; sed si objecta propius inspiciantur, ita *Chaussier*, intelligitur, quod spatia membranacea areolis respondebant, quae ramificationes inter ipsas relinquebant diploeticarum anastomoses venarum, ita ut cilium inferius temporalis et parietalium latum solidumque apparet, dum superius pellucidum, subtile, flexile, et areolis membranaceis disseminatum. Tandem id dignoscitur, quod ossificatio magis producta eo situ est quo trunci, rami, ac praecipue diploeticarum venarum ramificationes inveniuntur, quas quodammodo vasorum distributio subsequitur, ed inde ad interiorem ossis faciem cristae vel elevationes plus minusve distinctae juxta vasorum volumen et dispositionem efflantur. Memorabile etiam est, in ossibus calvariae quae enormem ambitum habent, centra ea e quibus ossea materies formatur, prominere magnopere, praesertim in fronte, tum quoque in sincipite et occipite. Hinc nec caput neque facies normalem formam obtinet, sed versus latera panditur, saepe etiam obliquitatem adipiscitur. Radiatim insuper solent particulae quae in osseam indolem abeunt, procedere, sicut id in pristina embryonis formatione contingit. Nec aequabiliter ossea fit calvaria, sed magnopere extenuata apparent ossa, aut osseae naturae plane expertia: alia etiam miro modo incrassata ut *Molynensius* potuerit pro gigantum ossibus habere. Insignis ea deformitas quomodo vitae ac ejus functionibus noceat, dictu haud facile est.

Vitam quidem diutius protrahi posse, liquet exemplis hydrocephalorum congenitorum, qui in virilem usque aetatem perstiterunt.

Tanti ponderis observationibus morbosorum phoenomenum seriem indicantibus ita praemissis, dicendum est, utrum horum quilibet sufficere possit ad morbi naturam in lucem prodeundam. Nam si quis vero ex me sciscitaretur, quaenam sint signa veri hydrocephali, qui citra inflammationem nascatur, equidem id nescire ingenue fateor. Etenim ut a proximis ejus colluviei effectibus ordiar, depressio bulbi palpebrarumque, aut strabismus, quibus nonnulli maxime fidunt, saepius tamen deficiunt, ubi post mortem haud ambigi potest, praecessisse mortem colluviem eam hydrocephalicam. Pupillae dilatatio saepius omnino adest, sed vidi tamen nullo modo mutatum uveae motum, cum post mortem verus hydrocephalus in conspectum prodiret. Somnolentos esse homines, dolorem acerbum in parte quadam capitis querentes, nonnunquam convulsos, trismo aut tetano correptos, tarde et impedite spirantes subito extingui; quorum cadavera secta praeter alia encephali vitia colluviem aquosam monstrarunt. Vultus et faciei habitus, in quo fiduciam Oderius collocat, quod peregri, torvi aliquid exprimit aut quod terroris semper aliquid habet, tum in aliis morbis adest, tum colluviem vidimus citra eam foeditatem vultus. Idem judicandum erit de vacillanti gressu, de pallore et inflatione faciei, quamvis horum praesentia hydrocephalo adfectum esse aegrum statim putetur: singula tamen fallunt plerumque medentem.

Fateri quidem cogimur invito animo, plurimum sa-

ne morbum de quo agimus, praeseferre difficultatis, ut certam ipsius diagnosim instituamus. Quamquam vero eorum quam supra recensuimus, phoenomenum series constans semper se se exhibeat, validis ne tunc rationum momentis inniteremur, quibus veri hydrocephali characteres patefieri possent? minime gentium, Si enim quaelibet ipsius symptomata singillatim perpendamus, incertum plane eumdem deprehendimus, tum quod in morbo persequendo nullis inhaereat legibus, tum quia aliorum etiam morborum patognomonicum veluti symptoma se se exhibeat. Et reapse quidem et difficilis dentitio et verminatio, quae frequentius in infantibus accidit, et in iis etiam individuis, qui gracili temperamento praediti sunt, nisi toto in corpore, in textubus certe, quibus vermes sedem statuere solent suam. Quapropter verminationi prae caeteris obnoxii sunt, ob irregularem secretionem substantiae mucoso-pituitosae, quae in ipsis solet usuvenire. Relationes consensuales directae, vel indirectae, quae habentur inter textum ab evolutione et praesentia vermium immediate adfectum et organa, quae humanam constituunt machinam, in morbosorum effectuum manifestatione qui a vermibus producti sunt, immenso prope dixerim numero originem praebuere. Eorum igitur phoenomenum necessaria requiritur cognitio, quorum ope morbus ipse deduci possit. Sed fatali necessitate incerta praeseferunt signa, ac eo opus est oculo, qui in multiplici verminosarum adfectionum plurimum valaet ad hanc gravissimorum morborum seriem quam plurium statuendam, qui si aliter pertractarentur, aut perpenderentur, effectus quidem parerent funestissimos. Celeberrimi

Germani auctoris, cui permultas in difficillimorum morborum diagnosi animadversiones debemus, sententia fuit, tantam vermium symptomata affinitatem in omnibus non exhibere cum morbo de quo argumentum est, ut plures falso arbitrati sunt, si recta ad omnia instituatur animadversio: si consideretur scilicet hydropem acutam a regularibus magis effectibus consecutam esse, quam vermes: ab iis tantum quietis non experiri: si prospiciatur praeterea, quod venter etsi minus tumidus, magis tamen constipatus est, ac remediis, quae evacuationi stimulum praebent, omnino infensus: quod convulsiones haud cito transeuntes sub mali finem in scenam prodeunt: pupillae dilatatio non tantum adparet, sed antea ipsius quoque lucis adversio, ac graviora insuper phoenomena, quorum causa aegrotus decumbat necesse est: manus uti mos est, ad nares minus quam ad caput, aut oculos convertunt..... A Franck tamen sententia ut discedamus oportet, qui clare professus est, nullum dari posse in acuta encephali hydrope signum constans adeo atque certum, quod sive deesse prorsus, sive serius aut citius ingrui possit. Hoc etiam in morbo certum aliquod quietis intervallum habetur, quod medicum, etsi artem probe calleat suam, eo deducit, ut morbum feliciter tandem ac prospere cedere vaticinatur. Et re quidem vera dolores ex vermium praesentia perdolentissimi excitati, tantique ponderis phlogoses, quae consequenter habentur, jam se se cutaneis e nervorum propaginibus, hisque etiam in medullam spinalem proferentes, saepe saepius tetano, nec non convulsionibus ansam praebent, quae aegrotantium nece finem plerumque imponunt.

Obstinata praeterea ventris constipatio, ac gravissima id genus alia cum pupillae dilatatione symptomata proficiscuntur. Haud certe difficile haberetur, ad verminationem quod attinet, diagnosim instituere, si, quod morbus existat, alicujus vermis exitus comprobant, quod interdum non contingit, quamvis phoenomenologicus verminationis adparatus clare innotescat.

Quae cum ita sint, necessario consequitur, omnia tum hydrocehpali, tum verminationis symptomata non sufficere, ut rectum habeatur criterium, ex quo morbi genus statui possit; tum quod ipsi aliorum morborum patognomonici characteres inspiciantur, tum quod medici observantis oculum saepius praetereant.

Nihilo tamen secius experientia praxisque hodierna, philantrhopia, eam nobis patefacit viam, quae prudenti et experto medico percurrenda est, cum a praedictorum phoenomenum serie toto morbi tempore non deducatur. Postquam de hujusce morbi phoenomenis, symptomatibus atque circa illius diagnosim disserui, opportunum esse mihi videtur ad ejus causas serio mentem convertere, quas rationi et scientiae consonum puto in organicas proprie dictas atque in externas tribuere. Priores si spectentur, fatendum equidem est, quam de iis nonnulla arduum sit proferre, tamen, doctissimorum medicorum sententiis inhaerens, haud illas inter plurimas recensere praetermittam, quae absurdae minus, minusque a veritate abhorrere videntur. Et re quidem *Darwin* absorbentium cerebri atoniae causam tribuit hydrocephali; alicujus autem opinio fuit, ipsum a compressione foetus materno in gremio originem habere posse. Rubeola praeterea re-

percussa, et vitii impetiginum retrocessio; mala quae in perspirationis functionibus evenerunt; tempus malum ac difficile dentitionis in causa procul dubio esse possunt, ut germen expediatur. Nonne ii etiam extitere, qui probare cunctis viribus conati sunt viarum digerentium morbos et jecuris praecipue magnam habere vim in cerebri inflammationibus? Imo ipsi a praedisponenti originario vitio oriuntur. Medico perscrutatori nonnullae observantur familiae, quarum infantes interiorem hydrocephalum communem habent, plurimi quidem paucis post ortum transactis diebus ipsius victimae occumbunt; et praesertim hic morbus cum interdum idiopaticus sit, ab aliqua tunc familiae praedispositione gigni videtur.

Hac in re L. Formey fuit doctrina, talis phoenomeni originem ex eo ab egregio auctore repeti a gentilitia capitis conformatione sed etiam ad uniformen rationem qua in pluribus cujuslibet familiae individuis evolvitur, efformatur, ac cerebri constitutio solidior efficitur. Externa saepe capitis conformatio ad interioris hydrocephali praedispositionem peritum docet medentem. Quae praedispositio in rotundo cranii praecipuae perspicitur potius quam in ovato, et in frontali osso valde prominenti, et orbitis defossis, configuratio paucis mensibus post partum in infante derivata. Animadvertendum hic est infantilium morborum numerum formativum processum necessario consequi, qui organismum elaborat; atque ideo quae praestantur interdum remedia, impedimento sunt, quo minus organicae perficiantur evolutiones. Addidit praeterea, quem supra attuli, Formey, quod veri aliquando insurgunt morbi, quoties formans processus

a proprio normali statu decedit. Morbos inter, qui ex hoc causam ducunt suam, encephali hydropem Formey recordatur, cujus pathologica conditio desumitur ab irregularitate organicae encephali evolutionis, quae in eccessiva praeponderantia consistit facultatis reproductivae, si cum illa quae in organicis systematibus evolvitur, conferatur. In variis propriae evolutionis periodis non levibus ac maximi adeo momenti cerebrum occurrit mutationibus. Stimulorum omnium impressioni objectum usque urgetur, atque hujus rei causa sunt effectus a plasticae materiei impulsu excitati, dum sensuum impressiones vires encephalo offerunt novas ad dynamicas proportiones servandas. Qua actionum conspiratione factum videmus, ut in ipso cerebro maxima humorum copia praeterfluat, atque inde necessario precox hujusce organi evolutio habeatur. Gravissimorum horum omnium rerum adjunctorum effectus clarissime patet: cunctae organismi partes praemature perficiuntur in omni illo complexu, a quo cerebrum constituitur. Reproductivae facultatis praeponderantia nullo amplius limite coarctatur; cerebri moli inconveniens adjicitur volumen, vasa protenduntur, fluxus humoralis, et processus reproductionis normalibus haud inhaerent naturae legibus, aquosa in internis cerebri partibus effusio nullo modo vitari potest.

En quod Formey consilium sit, dum de modo rationem reddit, quo hydrocephalus evenit. Sed usque adeo hujusmodi theoria factorum et observationum ope non comprobatur, matura potius et diligens habebitur conjectura. Nam aliquo modo physiologicis fundamentis fulcita est, et quia paribus positis rerum

adjunctis, quae in cerebro operantur adultae aetatis, hydrocephali formatio in individuis qui ad maturam aetatem pervenerunt potest explicari.

Hydrocephalus infantes, ut dixi, adultos raro pervadit; sunt qui tamen adfirmant, hunc se quoque in hominibus jam valde adultis deprehendisse. Ad extremum inter hydrocephali organicas causas lymphaticum quoque recensendum est temperamentum. Si ab humore pituitoso vel seroso excitetur coma, hujus causae signa sunt habitus pituitosus et serosus, aetas senilis, aut puerilis..... (Hippocr.).

Si causae quas in medium protuli, non parum in ipsis enumerandis difficultatis praeseferunt, externae pariter denso adeo teguntur velamine, ut saepe ad easdem inveniendas conatus quilibet accuratissimi reddantur inutiles. Ingens terror qui matri ingruerit, violenta remedia, venena, lapsus gestationis tempore, ictus ipsi quibus infans perculsus esse potuerit dum in lucem ederetur, malesanae nutritionis usus ulterius productus multaque id genus alia, causa interdum fuere cur foetus hydrocephalo subjaceret. Harum omnium certissima et frequentissima, ex qua morbus in quaestione exordium sumit, in hoc posita est, quod infans non levem capitis concussionem perpessus sit. Quod si accidat, poterit saltem effectus anteverti hyrudinum ad tempora ope, immediate post casum, dummodo a forti cerebri emotione consecutae in hujus ventriculis lymphaticae effusionis, casus quo certe non indicantur, symptomata non subsequantur; ex. gr. deliquia, vertigines, sopor, nauseae, convulsiones, seu pallor ingens. Quod si talia symptomata intensissima sint, nec iisdem, uti decet, cautum esset,

et alia insuper irrueret causa, tunc jam de aegrotantis vita actum est, nullum nobis remedium innotescit, quod certam non dicam, sed ne probabilem quidem, portendat utilitatem. Verum enim vero quantumvis casus ferat ut aegrotans convalescat, ipsius tamen sanatio imperfecta prorsus habenda est, cum ipse paralysi, epilepsiae molestiis, et convulsionibus obnoxius contineuter evadat; praetereaque certo jam elapso tempore hydrocephalus lento objicitur morbo, quod a cordis affectione oritur, et tandem aeger post recidivam extremo occurrit fato.

Antequam ad curativam hujusce morbi methodum gradum faciam, liceat quaeso, post aliorum opinionem, quod sentio libere a me profiteri, cum jam difficultatem patefacere non praetermiserim, nisi imperfectae hujusce morbi sanationis, curae saltem absolutae, atque uti ajunt, radicativae, illud tamen advertens, quod individui tali laborantes morbo, primario tantum gradu se se haberent, vel melius dicam hydrocephalo incipienti. Tamen hunc e fortuitis causis ortum hydrocephalum sanari, haud omnino nego, tametsi raro contingat. Etenim remota haec a manu medentis colluvies, depravata atque indoles et cerebri ipsius corruptio difficillimam reddunt curationem, ni omnia plane artis molimina eludant. Mea sententia, fateor, perfecte curatum hunc morbum videre nunquam existimo: tamen fides medico eximio Vindobonensi (Portenschlag-Ledermayer) et Anglis (Dobson, Mier, Rush) habenda erit, qui persanasse eum adseverant. Post haec, id saltem mihi fas erit proferre, quod illorum exemplum qui nullis postea successivis casibus advenientibus ex hydrocephalo ad valetudinem resti-

tuti fuere, rarissimum est; ac dum semetipsos in errorem inducunt, aliosque quoque eludunt ii auctores, quo eo innituntur, ut luce pateat clarius hunc morbum sponte evanescere. Animadvertendum jure videor, quantum medicos deceret, ut sibi ipsis vellent persuadere encephali hydropem frequentius adesse, quam medicorum sententia est. Quapropter quotiescumque infantes sopitos et convulsione correptos perspici eveniat, hujusmodi de quo agimus, malum grassari pertimescendum vehementer est.

» Si cerebri hydrops cum universali junctus in hunc transit, si ex erysipelate repercusso ortus hydrocephalus, illo revoçato desinit: sanatio perfecta contingit ».

Hoc aphorisma ad ejus curativam methodum instituendam praebuit medicis quasi facem. Ea urgentissima indicatio est capillatam rubefacientibus vescicatoriis cutem contegere, nec successiva inde ammittitur adplicatio ad suppurationem umor serosus revellendus, derivandus, evacuandus etc. (Hipp. Med. Pract. ration. de morb. capit. IX c. VI. pag. 22.).

Plurimi refert etiam organorum, quae ad digestionis functionem et urinam inserviunt, actionem augere, ut antagonismi gratia actio quoque cerebri imminuatur. *Odier* corroborantium usum perutilem esse contendit: nam summa quidem utilitate chinae chinae, Moschi, Zinci, vinique generosi ex adminiculis hydrocephalo praesto fuisse confirmat, cum tamen sub initio ad hyrudines confugisset. Purgantium usus destituendus omnino est, juxta Odier, cum derivativam ipsorum vim inutilem prorsus medici experti sint. Attamen ab Hippocrate fit clarior sententia, qua

ait: »In seri abundantia premente fibras cerebri purgatio praescribenda est«. Non desunt vero exempla debellati ope mercurialium morbi: imo calomelas Riverii adhibitum interius ad grani unius, aut grani dimidii dosim, satius remedium est; quemadmodum plurimorum exempla illius testantur emolumentum.

Perplures ideo dies pergat evacuatio, usque dum aegrotus debilis convenienter evaserit, imo usque ad animi dejectionem, et phoenomenologico adparatu vim morbi patefaciente jam moderato ab hac methodo discedendum erit.

Illum jam, quem tantum optabamus finem, consecutum esse cernemus, quoties desinet vomitus, copiosae et limpidae fluant urinae, quoniam opportunorum adminiculorum ope cum lymphatica excitetur absorptio, tanto magis cerebri compressionis phoenomena evanescent, quanto magis hujusce fluidi augebitur secretio. Quo autem ex remedio utilitatem illam, quam tantopere praedicant, Angli desumunt, nisi ex mercurialibus per frictionem administratis? Quod si *Serao,* medico neapolitano, fides habenda est, qui Morgagnio narrabat (Epist. 10. 8.), se puerum vescicatoriis emplastris suturae sagittali impositis ad sanitatem perduxisse, per annum unum aut alterum epilepticis insultibus et crurum resolutionibus confectum, inde effici potest, nec diuturnum hunc morbum semper curationi resistere, nec febrim adeo necessariam esse, ut valeat aeger, ac vulgo creditur.

Saepe tussis, ac respirationis impedimentum manifestatur, quibus perturbationibus expectorantium et antispasmodicorum usu frustra resistere conantur medentes. Haec phoenomena certe quid infausti semper

portentant, compressionis initium indicant, et a liquido encephali producuntur. Omnia inter phoenomena, quae hydrocephali exasperationem congrediuntur, vehementes non praetereundi sunt dolores, quo in casu Opium adhibitum fuit, cujus vis facultasve non palliativa, sed et curativa prosperrime semper cessit.

Multiplicem hanc inter remediorum varietatem, plurimum sane gloriae medicae sibi verterent disciplinae, si datum iisdem esset, nisi cumulatum plane exitum spondere, hunc saltem iis evocatum ambagibus omnino non desperare, quae divinissimae hujuscemodi artis lucem ac splendorem tenebris quodam modo offundunt, sed cogitur potius infirmae humanitatis aegritudinem omni remedio ac levamine destituere, eidemque tanti morbi effectus plerumque funestissimos vaticinari.



THESES

I.

A locali fonte repetenda actio irritativa.

II.

Quoties vero jam indicationum fontes arcescant, tunc ad empirica auxilia confugiendum foret, et quae juvant vel nocent, attente sunt consideranda.

III.

Non dantur remedia, quae abortum directe excitare possint.